

nentes, vel Præcedentes, vel Antegressæ il-
larum singulæ. Meminit & continentium
causarum autor libri de diffinitionibus,
exemplum dans de vesicæ lapide: nam eo
existente, morbus adest: sublato, tollitur.
Inde etiam 7. Aphor. 30. super illud: Qui-
bus in alui profluuiis excrementa spumosa
sunt, iis ex capite pituita defluit: Galenus
ostendens, non omnino hoc certum esse,
aliam causam assignat, quæ est, ut vasa quæ
ad ventriculum perueniunt, talem humorem
spumosum effundant in ipsum. Volens au-
tem generalem quædam modum huius sym-
ptomatis ostendere, subiicit: Fieret enim
quandoque & in ipso ventriculo vnam ha-
bens, ut quispiam diceret, causam contenti-
uam, quomodocunque excernatur aut fiat,
antecedentes verò plures. Est autem huius pi-
tuitæ causa contētiua, flatuosus spiritus. Cla-
rum est quid sint, & quomodo distinguan-
tur, illum ibi planè ostendere. In libro
etiam contra Iulianum, continentem causam
morbi dati docuit: verum cum illam nega-
ret hoc argumento Asclepiades, Contine-
ns causa est, qua sublata tollitur morbus: sed
sublata multitudine persape morbus relin-
quitur: non est igitur ipsius morbi causa
contineas plenitudo. Respondet ad hoc Ga-
lenus, (nam iuxta medium paulò post hæc
disputatio exoritur) Membrum quod ple-
nitudine laborat, ea sublata penitus sanitati
restitui. Inde hanc subiicit sententiam, ut
paucioribus eam verbis explicem: Dixi-
mus alibi de continentibus causis secundum
Stoicorum opinionem, quorum tam nomen,
quàm res ipsa inuentum est: nec rectè illo
nomine uti recentiores medicos: nos tamen,
ne de nominibus litigemus, illas ut sic no-
minentur concedere: non quòd aliquid sint
eorum, quæ vere sunt: sed quæ in sola tantum
consistant generatione. Inde concludit, mul-
tos sanata multitudine protinus curatos esse,
ut hanc causam nemo possit negare: primò
etiam de causis pulsuum cap. 1. Quia variat
usum pulsus, causa externa, intercedentibus
aliis præcedentibus, cum hic vna continens
sit causa pulsus, etiam ipsos pulsus immutat:
neque enim vlla possit continens causa im-
mutari, ut constans maneat effectus. Qui
vertit, dum solœcismum admittit, corrumpit
sensum: cum usus pulsus seu *χρῶσις* causa sit
continens. Ego necessitatem, vel indigen-
tiam potius verterem, ibi igitur continentis
causæ pulsus & reliquorū duorum generum,
fatis apertè, dum quis etiam febre correptus
est, meminit. In libro etiam de Renum affe-
ctibus, in fine, dixit. Et si animus erat tra-
ctare de quibusdam, puta, an lapis sit causa vel
morbus: etsi causa, an coniuncta, vel præin-
cipiens, unde illam in factio morbo videtur
admittere. 2. etiam de Symptomatum causis,
cap. 2. & tremoris, & palpitationis manife-
stius causam ostendit continentē: aer enim
inclusus quàm diu durat palpitationem facit:
sublato eo, tollitur palpitatio igitur ex diffi-
nitione coniunctæ causæ intentum sequitur.
illam autem infra docebimus ex Galeno.
Idem de horrore rigoreque. Galenus quoque
in libello de Historia Philosophorum cau-
sæ continentis meminit cap. de principij &

causa differentia, & rursus 2. Art. curat. cap. 4. & alibi tum 10. Art. cur. cap. 10. & 1. super 3. Epidem. cap. 2. cum itaque tremores habeant causam, vt ita dicam continentem, virium imbecillitatem, & in 4. eiusdem libri commento, docet eos, quod dum fiunt etiam sunt affectus vt conuulsionem, tremorem, & alia eiusmodi plura, & in libro de multitudine, cap. 3. & clarius 4. multa de continente causa differtuit. At verò nec in contrarium pauca adduci solent: nam illud aduersus Asclepiadem, primo ostendit factorum morborum nullam esse causam continentem, quæ etiam sententia videtur excipi à Galeno 2. Aphor. 22. Fientium morborum cura est causæ remotio, factorum autem ipsius morbi. Quod si continens causa in factis detur, duabus curis necessario opus erit, primo etiam Artis curatiuæ cap. 8. Quartum verò ab his genus statuito quod sit morbi causarum: atque harum, quæ quidem in ipso animalis corpore consistunt, antecedens nominet: quæ extra primum. Idem ferè in libro de Causis morborum, cap. 2. in fine, cuius seriei initium est, Rursus igitur: ostendit tantum duo genera causarum præcipientium, seu externarum, seu primarum, & antecedentium, idem & in de Causis percatarteticis. Decebat autem Galenum in his tribus locis meminisse continentium causarum. In primo, ob curam quæ illis debetur: in secundo, quod de causis sit propria pertractatio: in tertio, vt rectè primum causa ab aliis omnibus disiungerentur. In Aphorismo quid attinebat Galeno distinctionem afferre fientium morborum, & eorum qui iam facti essent, curamque diuersam iniungere, si omnes morbi causis continentibus iuncti sunt? In libro etiam de Multitudine, cum reliqua duo genera attigisset, continentium non meminit, in 3. etiam Artis medicinalis libro, cap. 5. cui titulus est, de Solutione continui, in fine, Galenus docet tria causarum genera: quoddam quo intemperies iam facta curatur, & vocatur Curatiuum. Secundum, quo quæ nondum inducta est, prohibetur: & hoc duplex, aliud Conseruantium, aliud Præseruantium. Tertium genus quod fieri conuenit, mixtum ex præseruatiuo & curatiuo genere. Iam enim (inquit) factum morbum curare oportet: sed eum qui nondum adest, futurus tamen est, prohibere conuenit ab ea, ne fiat, quæ est in corpore causa: eius autem qui adhuc sit, quod factum est curare expedit: quod verò futurum est, prohibere ne fiat. Manifestum est ex his, causam ab effectu separari posse, affectum verò ipsum sine causa curari debere. Quod si continens morbi iam facti causa assignetur, dupliciter peccabit Galenus: primò quod non solum morbum iam factum curare expedit, sed etiam causam: nec vllum erit inter fientem morbum, factumque discrimen medico, cum duplici in vtroque auxilio indigeat, & etiam Artis curatiuæ, cap. 1. Itaque si iam præsens febris est, causa quæ eam excitauerit desit, huic tantum sanandæ consilium dirigetur, vt refrigeretur. At si in generatione adhuc est febris, causa quæ eam accedit, subinouenda est: sin pars eius est genitas, pars verò adhuc gignitur, vtriq; con-